DE VICTUS — GAGLIARDI — 1628

2497 | B
F. III.
17/8

DE VICTVS QVANTITATE IN FEBRIBVS PESTIFERIS, MALIGNIS, ET ACVTIS.

AVCTORE

VBERTO GAGLIARDI
PHIL. ET MED. ALBENSI,
ET PATAVINO.

Typis tradita per Io: Antonium eius filium Phil. & Medic.

GENVAE,
APVD IOSEPHVM PAVONEM.
MDCXXVIII.
SVPERIORVM FACVLTATE.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

ILLVSTRISSIMO
DOMINO
STEPHANO SPINVLÆ
OLIM PAVLI,
STEPHANI, PAVLI
PATRITIO GENVENSI.

POSSVM hæreditario iure rationem hanc victus febribus peſtiferis, malignis, & acutis accommodatam, quam multis retrò annis conſcripſit Vbertus Gagliardi Phil. & Med. in perennis

memoriæ libertatem typis committere; vel ex eo etiam nomine, quod fęnorato mihi benefitio ſit grati animi in patrem meum iuge argumentum; qui vtrum de re medica bene meritus ſit quiſq; agnoſcat, vel certo amorem, quo quilibet fertur in cariſſimos genitores redarguat, qui feruidioribus conatibus vulgaria, & communia euehit in alta, & ſublimia. At ſaltem non immemor obſcura vectigalia nomini tuo redduntur, Illuſtriſſime Vir, cum hoc, qualecumq; opus, tibi inſcriptum exire contendo, neque omnino leuia. Medicina enim ortui antiquiſſimo familiæ tuæ non cedit, cum de ortus tempore cum natura contendat, hanc Imperatorum priuilegia adeò amplificant, vt tuo, licet mediocri, ſummo tamen iuri non inuideat, quod in tuos tercentum annorum curriculo exerces, tuę erga Cęſares coniunctiſſimæ obſeruantiæ non leue rudimentum. Atq; hac lege, quæ ſolido ære confecta corruerent ſub pondere magnitudinis tuæ, typi venuſtius

nuſtius ſuſtinebunt; cum nobis ſuffragando nihil tuæ amplitudini detrahis, imò ex puſillæ rei patrocinio, humanitatis tuæ, quæ ſumma cum omnibus eſſe conſueuit, radij ſe ſe latius diffundent, eruntq́; maioribus conatibus adiumento.

Io: Antonius Gagliardi.

LECTORI

VBERTVS GAGLIARDI. S.

CARNEADEM ſcripturum aduerſus Xenocratem, quò plus mentis acie valeret, ſuperiora elleboro purgaſſe accepimus; mihi igitur Medicorum minimo dicere aggredienti contra vulgarem omnium pene Medicorum in toto orbe terrarum exiſtentium ſententiam de victus quantitate in febrib is peſtiferis fatiendum ducam, vt ſanam mentem conſequi valeam in re valde ardua, in qua difficultas, & vtilitas æque vrgent? Anceps hactenus ſanè dubitaui num meam de hac re ſententiam palam facerem? rei difficultas, fautorum numerus, & inuidorum timenda conuitia apud me adeò vrgebant, vt non ſemel hanc diſputationem prope abſolutam reiecerim. Vicit tandem veritatis inueniendæ in re maximi momenti ſtudium, omnemq; difficultatem ſuperauit, oppoſuiq; aduerſarijs recentioribus, veterum auctoritatem; difficultati, illud voluiſſe, quod in rebus arduis ſatis eſſe ſapientes teſtantur. Quæ ſi non probaueris,ølioraq; excogitabis, manus dare non pudebit, interim quam diutiſſime Vale.

D. A.

D. A.

DE VICTVS QVANTITATE IN FEBRIBVS

PESTIFERIS, MALIGNIS, ET ACVTIS.

IN morbis curandis ad plurima, & varia attendendum eſſe, nemo eſt, qui medicinam faciendo non probauerit, quod cùm verum ſit in tota ipſa diſciplina, veriſſimum quidem in ea parte, quæ victus rationi inſtituendæ præeſt, cernere licet: In ea enim multa, & varia requiruntur, & ſumma diligentia deſideratur, ita eſt à Gal. traditum 1. de diebus decret. 1. cũ hęc maxima ſit artis pars ex eodem 11. meth. med. 15. ob cuius partis longitudinem, & difficultatem paucos reperiri Medicos tradit, 1. de dieb. decret. 11. qui victum in ægrotantibus rectè præſcribant. Ex qua imperitia errata inter medendum committuntur, quæ non ſolum morbos in ſanis excitant ex Galen. 2. de differ. febr. vltimò, & primò de criſ. 13. & 1. de die-

bus

bus decret. 11. ſed etiam illos ad interitum perducunt ex eodem 1. Aph 1. & 1. de dieb decret. 11. & 3. de morb. vulg. ſectione 3. tex. 72. cuius rei præclariſſimam hiſtoriam habemus ab Hyppocrate de filia Philonis 1. de morb. vulg. ſect. 2. tex. 79. Si tamen in vllo vnquam morbo noſtro hoc æuo victus fuit malè inſtitutus, is eſt (me iudice) in febrium peſtilentium, & malignarum curatione, in qua neminem (vno, vel altero exceptis) adhuc inueni ex recentioribus ſcriptoribus, nec vllum alium Medicum quo cum mihi vſu venerit ægrotantibus ſimul medicinam facere, qui hunc victum probè inſtituerit, omnes enim (quotquot noui) largam, & copioſam victus normam in his morbis præſcribunt. Quod quàm rectè faciant, decreui hoc ſermone inquirere, quòd ſi mea non probabitur opinio, melioraque excogitata fuerint, manus dare non pudebit, interim animo meo morem geſſero: In quo negotio pertractando duo præmittenda duco, nempè de quibus ex his febribus agamus, & quid victus nomine accipiendum ſit.

Febrium malignarum alia eſt, quæ eſt verè peſtilentialis, alia, quæ eſt peſtifera quidem ſecundum accidentium ſimilitudinem, verè autem peſtilens dici nequit, & de vtraque, quemadmodum, & de omnibus alijs malignis, & acutis hęc dicta eſſe volumus. Verùm enim verò cum febris peſtilentialis ſit, vel hectica, vel putrida ex Gal. 3. de praſag. ex pulſibus 3. & hectica peſtilens non recipiat ex eodem ibidem curationem, ideò de putrida tantùm ſermonem habebimus. De victu verò illud eſt notandum nomen victus, ſiue Diætæ apud Medicos ſumi multis modis, vt notauit Galen. 3. de morb. vulg. ſect. 3. tex. comment. 9. & 11. meth. med. 15. & 1. de rat. vict. in morb. acut. 6. Hic tamen ſumitur eo modo, quo capit idem Galen. 1. Aphor. 4. & 2. de nat. human. 2. nempè pro recto vſu ciborum duntaxat, & potuum.

Circa hunc victum in propoſitis febribus (vt opinor)

nor) bifariam errari contingit tùm circa qualitatem eius, tùm circa quantitatem. Aſſumamus primo qualitatem examinandam, hæc multas conditiones requirit, nam in primis victum eiuſdem naturæ deſiderat eſſe, cuius & alia auxilia medica, nempè qualitatis morbo contrariæ, ita faciendum eſſe cenſuit cum Hyppocrate, Galenus 6. de morb. vulg. ſect. 8. text. comment. 33. & 1. Aphor. 16. Requirit præterea recta victus ratio, vt alimenta ſint concoctu facilia, ne natura circa eà diutius occupetur conficienda, & vt facilè per vniuerſum corpus diſtribuantur, quæ hactenus nobis quoque arrident. Addunt præterea illa eſſe debere boni ſucci, quod fortè à Gal. deſumpſerunt, qui 8. meth. med. 3. in omnibus febribus alimenta eſſe debere boni ſucci dicebat. Verùm quòd ad hanc attinet conditionem in his febribus hallucinantur; nam cibaria debent porrigi acetoſa, exiccantia, & talia ſunt tùm praui ſucci, tùm multi excrementi. quod autem talia ſint exhibenda alimenta in his febribus locupletiſſimus teſtis eſt. Auicen. 1. quarti tract. 4. cap. 4. quo loco etiam cibaria hęc eſſe mali ſucci: non tamen ſunt adminiſtranda talia, quæ ſcilicet ſunt mali ſucci, quia ſint mali ſucci, ſed id fit per accidens, nempè quia requiruntur acetoſa, quæ nequeunt non eſſe mali ſucci, ſi enim darentur alimenta acetoſa, quæ ſimul eſſent boni ſucci, nihil eſſet vlterius expetendum, ſed cum talia non inueniantur, ideò per accidens dicitur illa eſſe debere mali ſucci. Dicent forte ſe alterare cibos rebus acidis, acetoſis, bene quidem, verum hoc non ſufficit, ſed opus eſt illas qualitates in alimentis prædominari. Hoc autem victu exiccante, & acetoſo, & per conſequens mali ſucci vti nos cogit ipſa putredo, quę cum in his febribus excellens ſit, & maior, quàm in alijs febribus putridis ex Galen. 6. de morb. vulg. ſect. 1. tex. comment. 29. ad ſe totam trahere curationem videtur, & præcipuus ſcopus vergere debet ad exiccandum ex Auic. loc. cit. Quare manifeſtè pa-

B tet

tet in his morbis recedendum eſſe ab illa conditione, quæ eſt alijs omnibus febribus communis, nempè quod alimenta exigantur boni ſucci. Sed iam pergamus ad ſecundam difficultatem, quæ eſt maioris momenti, & omnem Medicorum cœtum habet fautorem præmiſſis tamen quibuſdam ad difficultatis propoſitæ enodationem neceſſarijs, ne in ſermonis progreſſu retardemur.

Ciborum, atque alimenti nomen hic ſumimus in eo ſignificatu, in quo ſumebat Gal. 3. de temperament. 2. illud nimirum ad hominem referendo: quod alimentum cum quatuor modis dicatur ex eodem 1. de facult. natural. 11. & Hyppocr. libr. de aliment. circa principium, ſecundum quartum modum à nobis vſurpatur, cùm adhuc extra corpus reperitur, vt panis, carnis, oua, & ſimilia. In alimento hoc modo accepto duo adhuc conſideramus, nempè illius materiam, vt eſt panis, ouum, & cętera; & modum, atque artem illud adminiſtrandi, conſiderando nempè qua arte, & quo modo circa ægrotantes illa materia panis, vel carnium ſit exhibenda, & ita hic accipi debet. Hæc autem recta adminiſtratio alimentorum cum tria compræhendere poſſit, nempè quantitatem, modum vſus, & tempus opportunum, hoc loco ſolum agemus de quantitate. Duplicem rurſus in alimentis quantitatem conſideramus, alteram cibi corpoream, ſiuè dimenſionalem, ſiuè molis, quę propriè dicitur quantitas: alteram virtutis, in qua reſpicimus ad quantitatem nutrimenti, quod corpori accedit ex illa quantitate molis, quæ propriè ab Auctoribus appellatur quantitatis qualitas. Hanc duplicem quantitatis alimentorum acceptionem deſumimus ab Auic. 4. primi 1. Inſuper in alimentis contingit aliquando reperiri multam quantitatem molis, & paucam virtutis, vt in oleribus, & fructibus appellatis, ex quibus qui comedunt licet multum accipiant, modicum tamen nutrimentum illorum corpori accedit; Aliquando verò reperitur

tur multa quantitas virtutis, nutrimentique cum exigua molis, vt in ouis, carnibus, teſticulis gallorum gallinaceorum, ex quibus licet ægri modicum accipiant, copioſè tamen nutriunt? Aliquando ſimul iunguntur multa quantitas molis, & virtutis; Aliquando parua quantitas vtriuſq; ex Auic. loc. cit. In hac diſputatione accipimus quidem quantitatem virtutis alimentorum, ſiue autem iuncta ſit cum multa mole, ſiue cum pauca, nihil curamus.

Alimentorum quantitas hoc modo accepta bifariam conſiderari poteſt, vel vt particularis, vel vt vniuerſalis: particularis quantitas eſt illa, quam Medicus mente concipit conuenire diebus, & locis particularibus, & ſingulis acceſſionibus, & cunctis diebus, mane, & veſperi. Vniuerſalis verò eſt illa, quæ debetur ægro à principio morbi ad finem vſque, vel ſaltem vſq; ad finem ſtatus illius morbi; quam diuiſionem quantitatis inſinuauit Gal. 1. Aph. 11. & de hac vniuerſali quantitate noſter eſt futurus ſermo. Hanc autem vniuerſalem ciborum quantitatem commetimur duobus modis, vel in vniuerſum, vel particulatim habita relatione ad ſingulos ægros, & hic primo modo commenſurari volumus. Victum conſiderando vniuerſalem ſecundum virtutis ciborum quantitatem referendo illam quantitatem non ad ægros particulares, ſed in vniuerſum diuidere debemus cum Gal. 1. Aph. 4. in eum, quo fit augumentum in viribus, & dicitur victus plenus: in eum, qui quoniam vires conſeruat in vno, eodemque ſtatu, dicitur conſeruans, demum in eum, qui vires imminuit, & dicitur tenuis: proponuntur quidem, & alię de victu diuiſiones ab Hyppocrate 6. de morb. vulg. ſect. 8. tex. 1. & 1. de fract. tex. 45. 46. 47. & à Galen. 1. de tuend. valet. & ab Auic. 4. primi 4. ſed his omiſſis in priori conſiſtimus.

TItulus igitur quæſtionis erit quam ex propoſitis victus ſpeciē in febribus putridis, peſtiferis, & malignis cuiuſcunque ſpeciei ſint, & omnibus alijs putri-

dis, acutis conueniat exhibere plenumnè; an medio-
crem, an potius tenuem.

Recentiores pene omnes (vt diximus) in ea ſunt hę-
reſi, vt putent in his febribus conuenire victum ple-
num, quam ſententiam multis tùm rationibus, tùm
auctoritatibus confirmare nituntur quas ſigillatim re-
ferre in animo eſt.

Aſſerunt igitur ſe pleno victu vti, vt ſatisfaciant pri-
mo ſuo decori, ſubinde ægri propinquis, fratribus, pa-
rentibus, ne ſcilicet ipſi Medici tenui victu inſtituto
videantur ægros, qui alioqui potuiſſent vi morbi inte-
rire (cum tales febres ſint periculi plenæ) fame iugu-
laſſe; & maxime hac in re coguntur ſi vſque alibi, hic
Genuæ Matronis ſatisfacere. Nam quamuis (aſſerunt)
illa Antiquorum diæta ægro poſſit conferre, noſtris ta-
men temporibus Medicis plerunque nocet propter in-
famiam, quam in illo victu non poſſunt effugere, pu-
tant enim Aſſidentes (ſaltem qui non ſunt Medici)
quod in his febribus victus plenus ſit cauſa ſalutis illius
ægri, ſi viuat: & contra victus tenuis ſit cauſa mor-
tis, ſi moriatur; & non cauſa ſalutis, ſi ſuperuixerit.
Secundò inquiunt victum plenum eſſe inſtituendum,
quia multę ſunt celebrandę euacuationes, quæ vt poſ-
ſint à viribus ſuſtineri, victum plenum requirunt.

Auctoritates verò ſunt iſtę: prima eſt Auic. 1. quar-
ti tract. 4. cap. 2. Vbi ait, quòd in his febribus ſi non re-
ſiſtatur ei cum comeſtione violenter, ægrum interfi-
ciet. Secunda eſt ab eodem deſumpta loc. cit. cap. 4.
Vbi præcipit, vt ægri ad comeſtionem excitentur, &
ait, plurimi, qui viriliter agunt ſuper illud; & violen-
ter comedunt, abſoluuntur, & viuunt: Viriliter enim
comedere in his febribus eſt laudabile ſignum, quia
inditium eſt malitiam eo non proceſſiſſe, vt ſit com-
municata ori ventriculi: Eſt etiam laudabilis cauſa,
quia per cibum aſſumptum recreantur ſpiritus, & vi-
res. Hoc idem præceptum vt cogantur ad cibum ca-
piendum traditum eſt à Raſ. 10. ad Almanſ. 16. Tertia
eſt

eſt Galen. auctoritas 3. de morb. vulg. ſect. 3. tex. comment. 58. vbi præcipit, vt languentes cogamus cibum capere, illos enim (ait) qui in peſte ſibi vim facientes comederunt, euaſiſſe, qui contra mortuos fuiſſe: & præter iſta argumenta afferunt nonnullas graues obiectiones.

Primò obijciunt in his febribus peſtiferis humores eſſe corruptos, neceſſarium ergo eſſe, vt illa corruptio attemperetur copioſis cibis, nam ſi id non fiat, vires tandem exoluentur, & ęgri proinde interibunt. Obijciunt ſecundò ſe malle pugnare contra febrem, quam contra virium imbecillitatem, & eos Medicos, qui plenum victum non præſcribunt Carnificis nomine appellare non erubeſcunt, interim ægros ouis, carnibus, & omni victus genere pleniſſimo infarcientes. Vltimam, & omnium maximam obiectionem deſumunt à virium tenore, cum enim virium indicatio ſit omnium indicationum prima ex Gal. 10. meth. med. qui ait prima omnium indicatio, ſiue intenſio, quæ eſt virtutis: & adeò potens eſt, vt omnes alias obſcuret ex eodem primo de rat. vict. acut. & in his febribus vires ſint languidæ, & debiles, vt conſeruentur victu eſſe agendum copioſo, ſicut optimo iure aqua carnium conſumpto, expræſſo, quin & vinum in vſu quotidiano nonnulli concedunt, oua, fercula parata ex ouis, quinimò, & in eadem menſa ſæpè carnes, & oua concedunt. Quę alimenta ad victum plenum pertinere nemo inficias ibit, cum adſit Gal. explicatiſſima ſententia 1. Aph. 4. vbi ait victum qui ſit per alicam, per piſces, per oua, eſſe victum ſanorum. Atque hactenus attuli rationes eorum, qui victu pleno vtendum eſſe cenſent, vt expenderentur, nunc referam argumenta illorum, qui aſſerunt in his febribus, non minus, quam in reliquis morbis acutis victum non eſſe pręſcribendum plenum, quarum hæc eſt ſeries.

Primò, auctoritate Hypp. ſuam opinionem confirmant, qui 3. de morb. vulg. ſect. 3. tex. 72. in Parij cuiuſ-

iuſdam hiſtoria refert illum fercula multa, & mala comediſſe, quam ferculorum copiam damnat ipſe Hyppocrates. Secundò auctoritatem Gal. afferunt, qui 1. Aph. 4. aſſerit in morbis acutis nos non debere vires augere, ſed ibidem victus plenus vires auget, ergo victus plenus in morbis acutis non conuenit, cauſa autem quod victus plenus non conueniat hæc eſt, quia nimium morbum auget. Has autem febres reponendas eſſe inter acutas infra docebimus, & præter has auctoritates.

Obijciunt & duo primo, in his febribus victu pleno vires non tueri, etiam quod ſit vera debilitas ex diſſipatione ſubſtantiæ ſpirituum, ait enim Gal. 12. meth. med. 5. Si robur virium tueri velimus ipſorum ciborum, ac potuum non leuis eſt habenda cura, vt videlicet tùm quantitate modici, tùm qualitate exacti ſint: ecce quod ad vires ſeruandas non præſcribit victum plenum, ſed tenuem, vel ſaltem mediocrem. Secundò obijciunt vulgatam Auerr. ſententiam (cibus vires auget, & debilitat) non enim quilibet victus vires auget, & ideò victus plenus non ſemper auget, imò quandoque debilitat.

Vt hoc problema exquiſitè determinemus morbos diuidentes alios dicimus eſſe, qui adiectionem, alios qui detractionem poſtulant: adiectione opus eſt in fracturis oſſium, cum porum ſarcoidem generare volumus, in morbis cum ſubſtantia alicuius deperditione, vt quando in vlcere carnem producere intendimus, item in extenuatis, & conualeſcentibus: ſed detractione erit vtendum in morbis cum materia, & potiſſimum in quibus natura debet pugnare aduerſus cauſas morbificas. Quare erit hæc ſumma huius rei, vt pleno victu vtamur ſolum in morbis ex deffectu ſubſtantiæ, in conualeſcentibus, qui reffectione indigent, & in ſanis, in reliquis morbis cum Galen. 1. Aph. 4. negamus victum conuenire plenum. Supereſt modo, vt rationes aduerſariorum diluamus.

Ad primam rationem fatemur quidem & nos eſſe ſatisfaciendum ægrotantium propinquis, fratribus, & parentibus, & Matronis, & demum decori Medicorum eſſe conſulendum in ijs tamen rebus, in quibus poſſumus abſq; ægrotantium diſcrimine: ſed vbi contra præcepta, & leges medicinæ ire cogimur, & æger aliquod eſt ſubiturus periculum ab ea medendi noua forma eſt penitus abſtinendum. Ad alteram quod ſint faciendę euacuationes, licet id conceſſerimus, non tamen ob id erit vberius nutriendum; imò ex Hyppocrate 2. de rat. vict. in acut. 13. documentum habemus, quod vbi ſunt euacuationes factæ per pharmacum ea die de victus quantitate conſueta ſit aliquid detrahendum, quod præceptum eſt etiam commune ſectioni venæ ex Auic. 4. primi cap. 20. Sed neque antequam euacuemus erit illi opinioni locus, quinimò hoc placitum repugnat documentis Gal. qui mauult plenitudinem inędia ſoluere, quam euacuationibus per magna præſidia, niſi morbi magnitudo vrgeat; etenim 11. meth. med. cap. 4. docet ſi corpora indigeant euacuatione, quod ſanguinis, ex eo, qui redundat in corpore, aliquid relinquamus, ne cogamur corpora intempeſtiuè vberius alere, imò ibi ſtatuit eſſe ſorbitionibus, & potui parcendum, & minus euacuandum. Ex quo apparet contrarium potius eſſe concludendum ei, quod ſuperior ratio afferebat, nempè eſſe minus nutriendum, cum eſt euacuandum; Itaque potius erit abſtinendum ab euacuationibus multis, & parcius nutriēdum, quam contra. Imò aſſerimus, quod cum corpus eſt pletoricum, vel cacochymum, ob quam cauſam multæ ſunt celebrandæ euacuationes per venę ſectionem, per medicamenta purgantia, per clyſteres, quod tunc maxima conuenit inædia ex Galen. 6. de comp. med. per loca primo in principio.

Auctoritates prætereà adductę nihil faciunt, & Auic. & Raſ. & Gal. nam illis omnibus vnica hęc ſatisfaciet reſponſio, ſi dicamus inter alia ſymptomata febrium

ma-

malignarum, & peſtilentium ſæpè adnumerari inappetentiam, nam Gal. 3. de morb. vulg. ſect. 3. tex. comment. 58. ex traditis ab Hypp. ait in febribus peſtilentibus ſæpè ægros reddi inappetentes, vt abhorreant ab omnibus cibis; & tunc præcipiebat Gal. vt illos cogamus alimenta capere, & qui in peſte ſibi vim facientes erant eſſe ſeruatos, & qui contra mortuos. Auic. igitur, & Raſ. qui ex hoc loco illam ſunt mutuati ſententiam loquuntur non vniuerſaliter, vt vulgus Medicorum credit; ſed particulariter cum adeſt inappetentia, in qua cibos ita abhorrent, vt omnes reijciant; tunc enim vt cibum capiant ſunt cogendi, & licet illis vim inferre, non tamen (vt aiunt) eum, qui plenè nutriat, imò qui parum, vt infra ſuo loco docebimus: ob hanc eandem cauſam iuſſerat Gal. cogendos eſſe cibum capere, ſed non dicit copioſum, aliud autem eſt cibum capere, aliud cibum copioſum capere, plurimum enim hæc diſtant: quam interprætationem confirmo ex hiſtoria ab Hypp. relata (de qua ſupra mentionem fecimus) 3. de morb. vulg. ſect. 3. tex. 72. de Pario, qui comedebat multa, & praua fercula, & obijt, quam victus rationem inculpat Hyppoc.

Ad primam obiectionem de humorum corruptella, quam videntur communem facere omnibus peſtiferis febribus, & ſemper indicare victum plenum reſpondebimus quibuſdam tamen prius declaratis. Videndum primò an hęc corruptella ſit in omnibus his febribus, & vbi adeſt, quem indicet victũ plenumnè an tenuem. Quod ad primum attinet febres peſtilentes ortum ducunt aliquando ex malis, & vitioſis alimentis, & quę ſunt praui ſucci; aliquando etiam ex aeris nos ambientis vitio, quòd à cibis cacochimis contrahantur docuit Gal. lib. de cib. bon. & mal. ſucci, primo, quod ab aeris vitio ibidem, & in lib. de morb. vulg. paſſim. In primo genere adeſt quidem cacochymia, ob quam non licet in illis febribus ſecare venam, quemadmodum docuit ibidem Gal. ſed in ſecundo genere non ita certum

eſt

eſt adeſſe illud humorum vitium, nam cum in ſecundo hoc genere liceat ſecare venam, ſi in omnibus illa adeſſet corruptella, in omnibus abſtineremus à venæ ſectione, quia bene non licet venam ſecare, ſed tutius eſt medicamento purgante totum corpus inanire. Quod autem in aliquibus peſtilentibus liceat venam tondere ex Gal. habemus in lib. de morb. vulg. & quod in cacochymia ſit medicamento purgandum idem docet primo de differ. febr. Item febres peſtilentes fiunt tales, vel ratione loci, in quo humores putreſcunt, vel ratione humorum putreſcentium: Ratione loci putredinis fiunt febres malignæ, & peſtilentes quando putreſcunt humores in ipſo corde ex Gal. 3. de præſag. ex pulſ. 3. vel in alia quapiam principe parte, vt exempli gratia in cerebro in hypochondrijs tunc enim fiunt febres etiam mali modi ex Gal. 3. de morb. vulg. ſect. 2. in principio, & primo eiuſdem ſect. 2. tex. comment. 1. & alibi. Vel fiunt malignæ ratione humoris putreſcentis, ſi ille ſua natura ſit malignus, vt eſt bilis atra. In primo genere harum febrium non videtur adeſſe illa corruptella, imò ſi putredo eſt in corde, rationi conſentaneum eſt putreſcere ipſum ſanguinem, cum ille in corde ſit copioſus. Sed demus (ne notam peruicaciæ ſubeamus) in omnibus febribus malignis adeſſe illam humorum corruptellam, non tamen ſemper illa corruptio eſt attemperanda victu pleno, ne vires proſternantur, imò tenui victu, & ſæpè inedia opus eſt. Quod enim non debeat cibis attemperari hoc argumento probatur, quia in his febribus ſupra oſtenſum eſt cibos eſſe porrigendos acetoſos, exiccantes, qui ſunt mali ſucci, qui propterea ſua ſucci bonitate, qua carent, nequeunt illos humores contemperare. corroboratur hæc ratio, quia ſi ibi eſt materia mala corrupta, tunc potius eſt ſubtrahendum aliquid de victu, quam addendum per Hyppoc. 2. Aph. 10. Non pura corpora, quo magis nutries, magis lædes. Sed eſto (quod tamen fieri poſſe negamus) quod poſſit hæc corruptella cibis corrigi,

non tamen illi debent eſſe copioſi, nam ex Gal. auctoritate 2. de ſimpl. medic. facult. 12. ea, quæ attemperare debent malam qualitatem, oportet eſſe talia, vt ſuperent humores, & non ſuperentur; nam ſi illorum ciborum virtus non ſit tanta, vt ſuperet & quantitatem, & maliciam humorum, permutabuntur cibi à prauis ſuccis, & ipſa alimenta, & augebitur cacochymia, quod confirmatur auctoritate Hyppoc. lib. de affect. qui ait alimenta quanto ſunt meliora, ſi propter copiam corrumpantur eorum corruptellam eſſe multò deteriorem, quam ſit ciborum, qui & minus nutriunt, & deteriores ſunt. Sed copioſi cibi hanc cacochymiam superare ob vim inſignem prauitatis in humoribus nequeunt, ergo copioſi cibi cum non poſſint vincere vincuntur, & augetur cacochymia, & quoad molem, & quoad vim, quod conſiderans Auic. 1. quarti tract. 4. cap. 4. dixit hos parum nutriendos eſſe. Adde, quod ſi vires ſint debiles ex humorum corruptione tantum abeſt, vt conueniat victus plenus, vt potius ſit parce alendum ex Gal. 1. Aph. 17. quam auctoritatem confirmamus ex eodem 12. meth. med. 3. vbi docet, quod ſi adſit cruditas humorum, corruptioque quod tunc ij ægrotantes aqua ſolum mulſa tribus primis diebus ſunt nutriendi. Ergo indicat hęc corruptella tenuem victum ne dicam inędiam, quod etiam ex alia apertiſſima auctoritate Gal. 6. de compoſ. med. per loca primo vbi aſſerit inędia ſtatim eſſe vtendum cum corpus fuerit cacochymum, vel etiam plethoricum. Si igitur hic adeſt illa corruptio agendum eſt victu tenui, vel tenuiſſimo etiam, ſi opus fuerit. Item ſi coniugatur cum cacochymia virium infirmitas, vt ferè ſemper contingit, tunc vires debiles indicant parum dandum, ex Gal. 1. Aph. 17. & cacochymia permittit, vt ex traditis conſtat. Ad ſecundam obiectionem in qua aſſerunt tutius eſſe pugnare contra febrem, quam contra debilitatem, & proinde ſe plurifacere virium reſtaurationem, & maius putant negotium eſſe vires collabentes cibo reparare, quam

quam morbum abigere reſpondemus ſententiam hanc tantum à vero abeſſe, vt nihil ſit in tota arte medica magis à verò remotum, quod tum auctoritate, tum hiſtorijs facilè eſt docere; ſiquidem clariſſima eſt auctoritas cum Hyppoc. tum Gal. 2. de rat. vict. in acut. tex. 37. quo loco aiunt facilius reparari noxas, quę viribus ex deffectu alimenti proueniunt, & facilius emendari, quam quę ex eo nimis exuperante, & plus quam par ſit exhibito. at febres tales delere non niſi maximo labore ferè ſemper contingit. Idem probatur ex hiſtoria Gal. 10. meth. med. 3. illius ægroti, quem cum ex alimenti deffectu pene extinctum putarent Medici illi Diatritarij, porrectò cibo ſtatim veluti ab Orci faucibus reuocauit Gal. quo exemplo docemur vires deffectu alimenti collabentes ſtatim poſſe reparari, quam opinionem licebit corroborare, & alia hiſtoria ex ſacris libris decerpta, ſiquidem 1. Regum 30. legitur de puero Amaleclitarũ, qui nudius tertius cœperat ęgrotare, nec tribus diebus, & noctibus comederat, vel biberat, cui Dauid afferri iuſſerat panem, & aquam, & fragmen maſſæ caricarum, & duas ligaturas vuæ paſſæ, qui cum comediſſet, reuerſus eſt ſpiritus eius, & reſſocillatus. hæc autem ſpiritus reuerſio, & reſſocillatio quid aliud eſt, quam reparatio virtutis deſſicientis? Sed ad vltimam obiectionem deſcendamus, in qua totius huiuſce quæſtionis cardo vertitur, & propterea magna in his diſcutiendis, ſummaque diligentia deſideratur. Afferunt ergo omnes vno ore Recentiores in his morbis, & febribus victu largiore eſſe vtendum propterea, quod vires ſunt languidæ, & in dies deterius habebunt, & ideò vt ſeruentur validæ victu pleno eſſe vtendum. Quæ quam confuſè ſint prolata nemo eſt, qui animaduertere non queat; nos verò hæc diſtinguere conabimur oſtendendo, quæ vires ſint debiles, qualis ſit illa debilitas, & quid indicet, num victum plenum, an alia auxilia, vt earum robur ſeruemus, ſed ante omnia hoc eſt diſcutiendum; an in his febribus vires ſint

debiles, & an tales conſeruandæ, vel augendæ. Vires in his febribus omnes recipiunt eſſe debiles, quod apud me non ita certò conſtat, ſi enim vires eſſent debiles, nec Hypp. nec Galen. iuſſiſſent ſecare venam propterea, quod extat illud dogma Hyppoc. 4. de rat. vict. in acut. tex. 19. In acutis autem morbis ſanguinem detrahes, ſi vehemens morbus videatur, vigeatq; ægrotantis ætas, & virium adſit robur; quam ſententiam miratur Galen. non eſſe inter Aphoriſmos ſcriptam, quod preceptum vbique ſeruandum docet Gal. quotieſcunq; de ſecanda vena conſilium init, & potiſſimum lib. de curandi ratione per ven. ſect. & confirmat lib. de cibis bon. & mal. ſucc. 1. Quod autem in his febribus ferè ſemper ſit ſecanda vena vulgò fertur, & nos faciendum eſſe de Hyppoc. & Gal. ſententia aſſerimus, illos imitantes: nam Gal. in 1. & 2. de morb. vulg. de ægris, qui per eas tempeſtates peſtilentes Hyppocrati curandi ſunt oblati, ſermonem habens, ait ſe pro certò habere, quod illis ab Hypp. fuerit ſanguis miſſus, quamuis in narratione illius remedij nuſquam meminerit, quia morbi, qui referuntur, tales erant, vt id requirerent. Addamus, & illud, quod non omnis virium imbecillitas meretur dici debilitas, ſed ſolum cum ſunt multum debiles, ſimpliciter effertur virtus imbecilla iuxta illud Gal. 3. de Criſib. 10. Si morbus ſit fortior virtute, non tamen neceſſario virtus eſt debilis. Sed concedamus hoc illis, non tamen ob id debemus illas in morbis acutis, & magnis augere quod fieret plenum victum tribuendo; Imò etiam quod ſint parum debilitatę, debemus illas tales relinquere, & ſufficit illas tales eſſe, quod obſeruandum docuit Gal. 1. Aph. 4. Neque ſcopus in morbis curandis ille debet proponi, vt vires conſeruemus illeſas, ne vllam iacturam faciant, quia ſi primo attendamus virium cōſeruationi prohibebimur ab vſu magnorum præſidiorum, quæ magna auxilia in magnis morbis, quales ſunt propoſiti, requiruntur; aliqua enim in morborum curatione vſurpantur, quæ

potius

potius ſunt apta vires conuellere, quam conſeruare, vt venæ ſectio, purgatio. Itaque concludendum venit, nec ſemper vires eſſe debiles, nec ſemper earum conſeruationi ſtudendum eſſe; ſed ad reliqua properemus.

Vires (quòd attinet ad præſentem ſpeculationem) duobus modis conſideramus, nempè vel ſecundum totum eſſe ipſarum; & hoc pacto accipiendo vires dicuntur vno nomine virtus, quæ totum corpus regit; nam eſt virtus totum corpus regens virium omnium ſimul aggregatio pro vniuerſi corporis cuſtodia. Vel vires conſideramus, vt ſunt particulares, quæ tunc ſunt, vt ex demonſtratis colligit Gal. lib. de Hyppoc. & Plat. Placit. & 9. meth. med. 10. animales, vitales, naturales. Vires hic fortè capiũtur ab illis vt ſunt vnum aggregatum ex omnibus viribus ſimul, quod ex duobus argumentis poſſumus conijcere, primo quia in febribus omnes operationes omnium illarum virium læduntur, vt colligitur præter experientiam ex deffinitione febris ab Auic. allata prima 4. tract. 1. cap. 1. quando ait febrem nocere naturalibus operationibus, quod exponitur, omnibus operationibus, quæ ſecundum naturam in nobis ſunt, vitalibus nempè, naturalibus, & animalibus, quod inſinuauit Gal. 8. meth. med. 1. quando ſcribit febrem hominem contriſtare, & actionibus eius nocere. Secundò ex hac etiam ratione dicere poſſumus illos intelligere de virtute totius regente, quia in morbis curandis, & potiſſimum in his febribus ad vitæ cuſtodiam reſpicimus, cum ob id morbi curentur, vt vita nimirum cuſtodiatur; ſed vita nil aliud eſt, quam vires ipſæ, vel actio illarum virium Gal. teſte 9. meth. med. 13. Ita vt velint innuere vires omnes eſſe cuſtodiendas propter vitę cuſtodiam. Verum ſi dixerimus illos vires accipere hoc modo, nihil tunc artificioſum, & nihil magis in his, quam in cęteris febribus docere, in omnibus enim febribus, & morbis ſemper in id reſpicimus, vt vitam cuſtodiamus. Si verò vires conſiderant particulares, quæ ſunt tres dictæ vitales, animales, naturales,

turales, tunc neceſſe eſt, vt intelligant illas, quæ ſunt cauſa primaria curationis morborum, cum morbos curare velint, vel illas, quæ ſunt cauſa, quod vita permaneat, ſed non omnes ſunt æque hæc cauſa, ſed aliquæ, ſed quæ illæ ſint eſt inueſtigandum. Quod igitur ad animalem facultatem attinet, non videtur hoc loco conſideranda, cum non ſit maximi momenti ex Gal. 7. meth. med. vltimo, ſed ad illam duntaxat reſpicimus cum morbus fuerit in ſtatu prout repugnat euacuationibus tunc temporis faciendis quemadmodum docet Gal. 2. Aph. 29. Vel igitur vitalem conſiderant, vel naturalem: vitales vires non ſunt vtiles tamquam effectiuæ ſanitatis, ſed ſolummodo ob vitam, nam pro curatione ferè contemnendæ eſſent, & ſi vita ſine illis ſeruari poſſet, nihil eſſent faciendæ, quas vix conſideramus cum fiunt euacuationes eſt neceſſe, quod nobis indicauit Galen. 4. de rat. vict. in acut. tex. comment. 19. exemplo ſectionis venæ in pueris, inquiens venæ ſectionem non eſſe adhibendam, non quia vires ſint imbecilles, cum vitales robuſtæ ſint, ſed propter habitum corporis. Vires vitales igitur conſiderabimus à principio curationis, verum ſecta vena, purgatovè corpore nō tantum amplius de illis habebimus ſollicitudinem, potiſſimum in morbo cum materia qualis eſt propoſitus. Oportet igitur virium nomine in hoc caſu nos intelligere facultatem naturalem, quod duabus præcipuis rationibus confirmare licet, vna eſt, quia iſtæ febres ab alijs non differunt, niſi per excellentiam, & magnitudinem putredinis, cum in his eximia ſit putredo, & maior, quam in alijs febribus putridis, vt ſupra notauimus cum Gal. 6. de morb. vulg. ſect. 1. text. comment. 29. ſed magna putredo fit, quando virtus naturalis concoctrix adeò effecta eſt, vt non poſſit corrigere, quod putreſcit, quia degeneret in malam putredinem, vt ait Iſaach.

Altera ratio eſt, quòd hæc facultas eſt illa, quæ alteranda alterat, concoquenda concoquit, ſemimala

vtilia

vtilia reddit, excrementa expellit, quæ ſunt opera neceſſaria pro morborum curatione, de qua facultate loquebatur Hypp. 6. de morb. vulg. ſect. 5. tex. 1. dicens Naturas eſſe morborum medicatrices, & alibi Naturas per ſe ſolas ſufficere, eſtque hæc facultas natura illa, cuius Hyppoc. dixit Medicum eſſe debere imitatorem, quam Gal. 11. meth. med. 1. vocat cauſam primariam curationum morborum. Hanc igitur facultatem eſſe dicimus, quam primo quærere, & ſeruare robuſtam in toto morbi progreſſu debemus, cum ab ea ſumi tertiam indicationem curatricem in febribus putridis curandis tradat Gal. 10. meth. med. 1. Vbi ait primas indicationes curatrices in febribus putridis deſumi primam à febre, alteram à cauſa, tertiam ab ipſa vi naturali. Huius autem facultatis robur non ſeruabimus victu pleno, imò illam magis debilem reddemus nimio onere grauantes: prætereà ex eo victu aliud ſequetur incommodum, quod plurimum cibi tribuentes illam reuocabimus à ſuo opere ad alimenta concoquenda, & ob id relinquet morbum, cauſaſque morbificas, quod tamen vitandum duxit Auic. 4. primi cap. 1. qui ait eſſe neceſſarium vt dimittas cibum, cum volueris vt natura occupetur circa morbi digeſtionem. Sed illis ſi lubet permittamus de omnibus, vel de quacunq; virtute velint intelligere, non tamen cum vires ſunt debiles, ob id vt illi debilitati occurramus, licet ſtatim inferre eſſe plenum victum inſtituendum, ſed erit vlterius inueſtigandum, qualis ſit illa debilitas, quod vt probe teneamus ſciendum eſt: quod cum virtutem debilem eſſe dicunt Medici in praui non comparant illam cum eo ſtatu, qui erat tempore ſanitatis, omnis enim æger debilis eſt reſpectu ſui tempore, quo ſanus erat, quod notauit Gal. 1. de Criſib. 11. qui dixit virtutem ægri non eſſe, niſi debiliorem plurimum, quam ſit ſecundum naturalem diſpoſitionem, ideò non eſſe poſſibile ſtomachum, aut aliud membrum in ægritudine reddi robuſtius, quam eſſet tempore ſanitatis: ſed comparant ſemper

per

per virtutem rebus præter naturam, rebus verò non naturalibus appellatis ſolùm tunc comparant, quando illæ res non naturales ſunt inter cauſas morborum, vel efficientes, vel augentes, vel conſeruantes morbum, quando autem res non naturales ſunt auxilio in curatione vires ad eas non comparantur. Itaq; cum virtutem debilem dicimus comparamus illam morbo, vel rebus non naturalibus, ſi morbo fauent, & dicimus illas eſſe debiles, quia non ſufficiant pro curatione illius morbi, non quod ſint debiliores, quam tempore ſanitatis eſſe conſueuerint; atque ex his patet quid ſignificare velint Medici dicentes vires eſſe debiles. Virium debilitas hoc modo accepta eſt duplex vna vera,& propria, altera mendoſa ex Hippoc. & Gal. 2. de rat. vict. in acut. tex. comment. 48. & ex Gal. 3. de morb. vulg. ſect. 1. tex. comment. 2. & 4. Vera, & propria debilitas eſt illa, de qua proprie intelligi debent Auctores cum abſolute proferunt vires eſſe debiles, quæ fit ob reſolutionem fundamentorum virtutis. Debilitas mendoſa, & impropriè dicta eſt illa, quæ dicitur per aggrauationem, quæ eſt adhuc duplex vna ob intemperiem illorum fundamentorum, altera ob multam, & malam materiam obruentem, & veluti ſuffocantem calorem innatum Gal. 2. comment. 1. prorrect. tex. 5. Verum vt hæc res bene diſcutiatur, ſciendum eſt vires ſuam habere eſſentiam in partibus ſpirituoſis, carnoſis, & ſolidis, & in his maxime; circa quas partes duplex vitium contingere poteſt, quò vires reddi poſſunt debiles, defectus nimirum ſubſtantiæ illorum fundamentorum ex reſolutione, & mala temperatura, quæ eſt, vel ſine materia, vel cum materia; ſine materia erit intemperies manifeſta, vel occulta, illa calida, vel frigida, humida, vel ſicca; hæc venenoſa, vel maligna. Cum materia erit ſimiliter affecta, vel copia, vel qualitate, & hæc vel manifeſta, vel occulta, quæ omnia ſunt à Gal. deſumpta 12. meth. med. cap. 5. In his febribus ſolet reperiri modo debilitas vnius ſpeciei, modo alia alterius

ſpe-

ſpeciei, vt modo debilitas mendoſa ex intemperie ſimplici ſubſtantia illorum fundamentorum, vel ſpirituoſæ, vel carnoſæ, ſolidæve, modò debilitas ex aggrauatione, imò hæc debilitatis ſpecies eſt illa, quæ frequentior eſt in his febribus, & ratio eſt, quia frequentius nobis occurrunt corpora non pura curanda, in quibus vires ob materias excrementitias obruuntur, & calor innatus pene ſuffocari videtur. Poſt hanc frequentior eſt illa debilitas ob malam intemperiem illorum fundamentorum factam, vel à febris vehementia, vt in cauſone contingit, vel à maligna, & venenoſa putredine, vt in febribus, de quibus nunc agimus: & nonnumquam in his febribus fit virtus debilis ab vtraque cauſa nempè ab ipſa caliditate febrili, & cacoetia. Raro autem, quinimò rariſſime euenit, vt occurrat corpus in quo vires ſint debiles vera debilitate ſequente reſolutionem dictorum fundamentorum ſubſtantiæ virium. Itaque debilitas ſi aliqua apparet in febribus iſtis illa eſt mendoſa, & falſa pendens, vel ab intemperie, aut aggrauatione cum (vt dictum fuit) in his febribus peccent humores, & quantitate (vt plurimum) & venenoſitate. Si igitur contingat vires re vera eſſe debiles, tunc danda erit opera, in primis, vt dignoſcamus qualis ſit illa debilitas ex tribus ſuprapoſitis debilitatibus; eſt enim turpe, & Medico probro vertendum, cum neſit veram debilitatem à non vera diſtinguere auctore Hyppoc. cum Gal. 2. de rat. vict. in acut. tex. comment. 48. refert itaq; plurimum hæc probe diſtinguere. Cognoſcemus has debilitates multis argumentis, & potiſſimum ex cauſis iſtarum debilitatum ſi præceſſerint, vel adhuc præſentes ſint. Veram itaque debilitatem ob reſolutionem ſubſtantiæ illorum fundamentorum ipſarum virium cognoſcemus primo ex deffectu ſubſtantiæ ſpirituoſæ ab animi motibus magnis, & repentinis, vel etiam longis, ex magno, & repentino gaudio, delicijs, timore, mœrore, ira, & ſimilibus, item ex magno dolore. In carnoſis, & ſpermaticis partibus poteſt

fundi; illorum ſubſtantia ex longitudine morborum cronicorum, vel febre aliqua liquefaciente, ex euacuatione aliqua naturali, vel artificiali. Item reſolutio omnium illorum fundamentorum, & illarum trium ſubſtantiarum æque fieri poteſt ab his cauſis, nempè ex deffectu alimenti, ex euacuatione per vomitum, aluum, per ſudores, vel alias regiones, ſed potiſſimum ex fluxu ſanguinis per nares, hæmorrhoidas, menſes, puerperia, venæ ſectionem, item ex labore nimio, aut intenſa exercitatione, ſi itaque ſimiles cauſæ præceſſerint, vel præſentes ſint, & abſint cauſæ, & ſigna plenitudinis, vel cacochymiæ, tunc erit affirmandum vires eſſe debiles vera debilitate. Debilitatem verò mendoſam ab intemperie manifeſta factam cognoſcemus in ſpiritibus quidem ex morbi acumine, intenſione, & remiſſione caloris febrilis, & ſimilibus, quæ cauſæ poſſunt etiam partes carnoſas, & ſolidas afficere, quemadmodum & cauſæ calefacientes, refrigerantes, humectantes, & exiccantes, occultam verò intemperiem in ſpiritibus cognoſcemus ex ictu, & morſu animali veneno ſi, ex veneno, ex aere mala aliqua qualitate inquinato. In carnoſis, ſpermaticiſq; partibus, necnon & in ſpiritibus etiam ex malicia, & more febris, ex corruptella humorum, ſi quæ adſit, ex putredine. Debilitatem demum ex aggrauatione compræhendemus ex ſignis plenitudinis, cacochymiæ ſi adſint, vel præceſſerint cauſæ replentes corpora, & abſint cauſæ reſoluentes, quales ſunt euacuationes ex Gal. 2. comment. 1. prorretic. 5. tunc enim licebit aſſerere vires eſſe debiles ob ſarcinam humorum peccantium, aut nimia copia, aut mala aliqua qualitate manifeſta, vel occulta. Hæc autem nouiſſe expedit, vt ex his elliciamus indicationes, quas nobis ſuggerunt hæ virium imbecillitates, cum inter ſe valde differant. In debilitate itaque mendoſa ex aggrauatione excrementorũ indicatio ſuppeditatur euacuandi corpus ex Hyppocrat. 2. Aph. 22. Quicumque morbi ex repletione fiunt, curat euacua-

tio: Ideò in hac debilitate ſcopus non erit nutriendi, ſed corpus exonerandi imminuto victu, & aucta vi medicamentorum purgantium, & Chyrurgiæ; quare hic non erit locus victui pleno. Si debilitas pendeat ab intemperie, tunc ſi fiat intemperies à manifeſta qualitate erit indicatio alterandi oppoſitis qualitatibus manifeſtis ex Hyppoc. loc. cit. & 5. Aph. 19. Si enim intemperies pendeat ex malicia, & venenoſitate, tunc ſcopus non erit nutriendi, imò abſtinendi à cibo, & potu, ex Gal. 1. art. curat. ad Glauc. cap. 13. de ſyncopi, & erit vtendum his, quæ occultam proprietatem obtinent aduerſus tales morbos, qualia ſunt alexiteria, alexipharmaca, quod perbelle docuit Gal. 13. meth. med. 6. Itaq; ex tribus propoſitis debilitatum generibus iam ſunt inuentæ duæ, & quę in his febribus ſunt magis frequentes, quemadmodum ſupra notatum fuit (quę tantum abſit) vt victum plenum indicent, vt potius illum prohibeant, vel ſaltem nec indicent, nec conſentiant. Videamus poſtremum genus debilitatum, & omnium rariſſime eueniens: Si vires ſint debiles ob diſſolutionem ſubſtantiæ fundamentorum facultatum illarum, fatemur tunc debilitatem hanc indicare reffectionem per alimenta Hyppcc. 2. Aph. 22. teſte, ſed negamus reffectionem hãc fieri debere per victum plenum, imò nec per victum mediocrem, ſed per tenuem, & ratio eſt, quia ſi virtus ſit debilis minus poteſt concoquere, & transmutare alimenta pro nutritione iuxta tradita à Galen. 1. Aph. 17. & 2. Aph. 17. cibus autem non reficit, niſi conficiatur. Itaque poſtquam inuentum fuerit vires eſſe debiles ob diſſipationem illorum fundamentorum, & cibis reparandas eſſe, non tamen ob id erit dicendum illam debilitatem reparandam victu pleno, & proinde carnibus, & ouis eſſe agendum: ſed erit vlterius procedendum inquirendo quænam ſubſtantia ſit diſſipata num ſpirituoſa, an carnoſa, an demum ſolida, & huic appoſitum ſuppeditare alimẽtum, cum vnum, idemque non ſit aptum alimentum pro re-

parandis omnibus illis ſubſtantijs, ſed illud præbere oportet, quod eandem ſpecie ſubſtantiam ei, quæ diſſoluta eſt, reaponat ex Gal. 1. de ſanit. tuend. 2. proinde ſi ſit diſſoluta ſubſtantia ſolida ex eodem 11. meth. med. 3. debet illa reffici alimento ſolido, ſi ſpirituoſa ſpirituoſo ſi carnoſa medio inter ſolidum, & ſpirituoſum, quod deſumpſit ab Hyppoc. lib. de aliment. verſus finem, vbi diſtinguit alimentum in tria genera in ſolidum, humidum, & ſpirituoſum. Cum autem iſtæ febres ab omnibus reponantur in genere acutarum, & in morbis acutis non ſoleat diſſolui ſubſtantia ſpermatica, vel carnoſa, ſed ſpirituoſa, ita docente Gal. 2. Aph. 7. & 12. meth. med. ideò dicendum eſt non conuenire, nec oua, nec carnes, cum hæc ſint craſſi ſucci, ſed reſtituenda eſt ſubſtantia ſpirituoſa aere inſpirato, & ſanguine ſpirituoſo ex Hyppoc. loc. cit. de aliment. Quod autem carnes, ſed potiſſimum oua ſint craſſi ſucci tradidit Gal. 4. de rat. vict. in acut. tex. comment. 113. & 5. de tuend. valet 6. & corroboratur hæc ſententia, quia præter dicta, vt melius præſcribatur, & deffiniatur hęc victus quantitas erit vlterius perſcrutandum ſi vires ſint debiles, qui gradus debilitatis ſit, nam poſſunt vires infringi plus, vel minus, & tunc illa debilitas erit magna, vel parua, vel mediocris, qui medius ſtatus habet etiam latitudinem magnam, & ita iuxta gradum huius læſionis, plus, vel minus erit nutriendum. Hic autem gradus læſionis cum non poſſit ita exacte dignoſci, imò non niſi quadam coniectura maxime comparata ad morbum hinc fit, vt de ea debilitate frequenter diſcrepent inter ſe Medici, quæ diſcrepantia apud peritos eſt parua, apud imperitos eſt magna. Cum igitur non reperiatur aliæ debilitatis virium ſpecies à prędictis in vllo morbi genere, neque in his febribus credendum eſt alias dari: & cum ex illis debilitatibus vna tantum ſit, quę indicet cibum dari, nec illum plenum, ideò concludendum eſt in his febribus numquam conuenire victum plenum, imò (quod magis eſt) neque me-

mediocrem (vt mox docere aggredior) ideò erit à carnibus, & ouis abſtinendum. Atque hæc de prima parte huius quæſtionis, nempè de victu pleno dicta ſufficiant.

AN verò cõueniat victus mediocris appellatus (quod erat ſecundũ membrũ huius dubitationis) breuiter dicemus cum Gal. 1. Aphor. 4. illum conuenire ſolum in morbis longis, & in acutis ex decidentia, non autem in acutis ſimpliciter: In illis enim ſcopus eſt (quod ad vires attinet) illas conſeruare, non augere, conſeruat autem victus qui mediocris eſt, non autem auget, nec imminuit ex Gal. ibidem. Sed iam tempeſtiuum eſt, vt deſcendamus ad vltimam problematis huius particulã, & inueſtigemus an tenuis victus ſit magis quam propoſiti ex re ægrotantium in his febribus, vt tandem liceat conuenientem hanc victus ideam inuenire.

De tenui victu an in his febribus conueniat arduum eſt diſputare, propterea quod omnes in eam videntur conſpiraſſe ſententiam, vt nullo pacto vſu veniat multaſq; in medium adducunt rationes vt id perſuadeant; à quibus cum toto Cœlo diſſentiam contrarias etiam rationes, & auctoritates palam faciam; ſed primo loco eorum argumenta proponam, qui negant victum tenuem eſſe ex vſu. Primò aſſerunt modum hunc nutriendi per tenuem victum non poſſe ſeruari noſtris temporibus, vt tempeſtate Hyppocr. & Gal. factum fuit, quia tunc temporis homines paucioribus cibis veſcebantur: Antiqui enim ſemel tantum in die ad ſaturitatem comedebant, idque in cœna, de prandio enim apud illos rarò fit mentio, ſed pro prandio ſatis illis erat ientaculum; noſtra verò tempeſtate ob conſuetudinem ſumendi maiorem copiam ciborum non poteſt victus tenuis nedum tenuiſſimus ſeruari, imò qui continentiores ſunt in prandio, & cœna ſe ſe replent, alij mane tempeſtiue, & inter prandium, & cœnam. Sicut igitur (ſi licet à ſimili arguere) apud veteres erant quædam medicamenta vtilia, & quæ cum fructu aſſumebant, quæ

nunc

nunc ob eam quam habent ad corpora noſtra improportionem, reprobantur; ita apud illos quædam diæta erat tenuis, & illis vtilis, quæ nunc eſt inutilis, & penitus reijcienda. Nec ſolum ob conſuetudinem (vt hoc addam) veterum victus tenuis eſt nunc ſuſpectus, ſed forte etiam, quia nos ducimus originem à parentibus debilioribus, quam eſſent veteres illi, ſeneſcit enim in dies natura noſtra. Secundò obijciunt aliqui in diuerſis morbis ob temporum morborum diuerſitatem variandam eſſe alimentorum quantitatem, ſed ſi à principio detur victus tenuis, vel tenuiſſimus non poterit in alijs tēporibus hæc victus ratio variari. Tertiò aiunt victum tenuem eo, qui fit paulò plenior eſſe periculoſiorem, quod eſt ab Hyppocr. deſumptum 1. Aph. 4. & 5. Quartò opponunt has febres ſymptomata plura, & deteriora, & maiora, quam alias ſemper ſequi, & concomitari (vt ex ſententia Ruffi retulere Paul. Oribaſ. Aet.) apta vires proſternere, qualia ſunt, fluxus, colliquationes, oris ventriculi morſus, & alia enumerata à Gal. 3. de morb. vulg. ſect. 3. tex. comment. 57. & ibidem multis in locis: & ob id ſi vtamur victu tenui deſficient vires. Hactenus quas habui rationes retuli eorum, qui negant in his febribus eſſe vtendum victu tenui, vt expendantur, nunc abeo ad alia argumenta, quibus adducor vt præſcribamus victum tenuem in his febribus non minus, quàm in reliquis acutis morbis, quæ omnia vt ad cenſuram hominum doctiſſimorum reducantur maxime exopto.

PRimò, cum tres tantum ſint victus ſpecies (reſpiciendo ad quantitatem) plenus, mediocris, & tenuis, & probatum ſit duas primas ſpecies non conuenire, certe nemo negabit victum tenuem commendandum. Secundò ſi victus tenuis confert ſanis ad ſanitatem tuēdam, tanto magis erit vtilis ad curandos morbos, cum morbus ex his; ſit, quæ victum prohibent, vt paſſim docuit Galen potiſſimum primo de rat. vict. in acut. tex. comment. 44. quod autem victus tenuis conferat

ad ſanitatem tuendam docet Galen. lib. de cib. boni, & mali ſucc. 12. neque huic rationi repugnat Aph. 5. primæ ſection. quia ibi non agit ſenex de tenui victu ſimpliciter, vt ſuo loco monebo. Tertiò, ſi victus tenuis confert in morbis ſine materia, in quibus natura non debet pugnare aduerſus morbum concoquendo humores peccantes, tanto magis proderit in morbis cum materia, in quibus natura ſe ſe debet conuertere ad humores concoquendos, ſed in fracturis oſſium; qui ſunt morbi ſine materia Hyppocr. 3. de fract. 49. vtitur victu tenuiſſimo vltra quatuordecim dies ſolam aquam præbendo, vel pauco melle admixto. Quartò extremis morbis extremæ curationes optimæ ſunt ex Hyppoc. 1. Aph. 6 ſed febres peſtilentes ſunt extremi morbi, vt ab omnibus conceditur, ideò in his conueniunt extremæ curationes; ſed cum victus tenuis, & tenuiſſimus fit extrema curatio, ideò in his extremis morbis proderit. Quintò morbi quo ſunt mitiores magis permittunt cibos craſſiores, quo verò ſunt deteriores, tenuiores, vt nobis inſinuauit manifeſte Galen. 3. de rat. vict. in acut. text. comment. 61. Ptiſſanam autem totam porrigunt ijs, qui mitius, quietiuſque habent: ſolum verò cremorem his, qui deterius habent; Verum his, qui periculoſius, acutiuſque laborant potus ſolos, & 1. de fractur. 45. Item potus ſolos his exhibet Hyppocr. quos acuti infeſtant morbi, vbi vires ad morbi vigorem vſq; ſperauerit ex eodem tex. comment. 62. Sed cum febres hæ deterrimæ ſint, & acutæ, ideò potus ſolos permittent. Sextò, raro accidit, vt in ægrotantibus robur corporis maius, quam acceperimus, reddere ſtudeamus, vt Galen. docet 1. Aph. 4. ſed in morbis acutis, quorum graues ſunt caſus, & periculi plena ſunt omnia, ſat erit vires parum debilitatas tenui victu conſeruare ex Gal. ibidem: ſi enim vires quales incipientibus morbis acutis accipimus ſeruare, vel etiam augere pleniori victu nitamur, ſemper addemus ad morbum natura vtique diſtracta à coctione humorum noxiorum, & nouo cibo

bo grauata. Septimò, morbi quo magis ſunt cum materia copioſiori eo magis tenuem victum poſtulant, ratio eſt ab Auic. allata 4. primi 1. quia (inquit) oportet vt natura occupetur in maturatione humorum, & expulſione. Ergo cum hæ febres (vt ex priori ſententia ponitur) ſint cum multa materia, ideò in his tenuis victus eſt expetendus. Octauò, ſi febres acutæ conferantur cum alijs morbis acutis circa ciborum quantitatem cęteris paribus, in febribus victus debet eſſe tenuior, quam in alijs morbis acutis, ratio eſt duplex, tum quia febres plus nocent, cum noceant omnibus operationibus, quæ in nobis fiunt; tum quia in febribus eſt maius periculum. Nonò, ab humoris peccantis conditionibus licet idem arguere, nam ſi in his febribus (vt fere omnes aſſerunt) materia peccans eſt multa, calida, ſubtilis, in membro nobili reſidens, tunc ob iſtas conditiones cogemur exhibere victum tenuiorem, quam in alijs morbis. Item quę augent bilem non conueniunt in his febribus, ſed edulia dulcia, & pinguia augent bilem, ex Galen. 1. de Criſib. 12. ergo edulia dulcia, & pinguia non conueniunt, ſed carnes, & oua ſunt edulia dulcia, & pinguia, ergo carnes, & oua non conueniunt. Decimò, ſi vires ſint debiles ob morbi maliciam, tunc parcendum erit cibo, & potui, quod docet Gal. 1 art. curat. ad Glauc. cap. 14. exemplo ſyncopis, nam ſi illa contingat ob caloris vehementiam, aut febris malignitatem tunc ipſe interdicit cibum, & potum in ſyncope omnium ſymptomatum deterrima. Ex quo loco diſcere poterunt, qui in ſyncope ſtatim ad vires reparandas exhibent, oua, vinum, & cibos alios, ſine vllo delectu. Vndecimò, ratione concoctionis etiam conuenit parcus cibus ex Gal. lib. de conſt. art. med. 19. cum enim in his febribus ſit inſignis putredo, & putredo non tollatur niſi per coctionem, vt coctio bene eueniat parcum cibi vſum commendat Gal. loc. cit. Duodecimò, quando virtus eſt debilis non conueniunt cibaria, quæ multum nutriunt ex Galen. 7. meth. med. 6.

& 8.

&c 8. meth. med. ſed hic per aduerſarios virtus eſt debilis, ergo hic non conueniunt oua, & carnes, quæ multum nutriunt, ratio autem eſt, quia quę multũ nutriunt ſunt difficilis coctionis ex Gal. loc. cit. Vltimò, alimentorum quantitas debet eſſe proportione reſpondens multitudini caloris innati, ſed cum calor innatus in febricitantibus ſit paucus, pauca etiam eſſe conuenit alimenta; maiorem deſumimus à Galen. 1. Aph. 15. & ab Hyppocr. 1. Aphor. 14. quod autem calor innatus in febricitantibus ſit paucus docuit Galen. 1. Aph. 14. quod confirmat hiſtoria relata 3. de morb. vulg. ſect. 3. text. comment. 74. Aegro 3. cuiuſdam febricitantis, in quo calor febrilis primo die reliquit calorem innatum ita imbecillum, vt iam extingueretur. Quod ſi his rationibus non acquieſcunt ſubijcio has auctoritates.

Prima auctoritas docens victum tenuem in his febribus eſſe inſtituendum eſt Gal. 6. de compoſ. med per loc. 1. vbi docet, quod cum corpus fuerit cacochymum, aut plethoricum, inedia ſtatim eſſe vtendum, ſed per aduerſarios corpus in his febribus eſt cacochymum, ergo conuenit diçta tenuis, imò inædia: ergo falſum eſt, quod ipſi ſupra aſſerunt ob corruptellam humorum cõuenire victum plenum, imò ex hoc Gal. loco conuenit inædia, quæ etiam plethoram curat, vt ex eodem tum hic, tum 13 meth. med. 7. quod ex Hyppoc. deſumpſit, qui 2. Aph. 10 monet non pura corpora, quo magis nutriuntur, magis lędi. Secunda eſt Abimeronis Abinzoahar, qui lib. 3. tract. 3. cap. 1. in præſeruatione à peſte iubet omninò eſſe ſubtiliandum regimen, & vtendum victu tenui ſolo pane, & ferculis ex oleribus, & vſum carnium eſſe omninò abijciendum. Si igitur victus tenuis præſcribitur in præſeruatione, quid in curatione fiet, in qua præſens eſt morbus, qui potius victum prohibet, quam indicet, vel permittat. Tertia eſt Abuſar Indiani apud Raſ. qui ait patientes morbum epidemialem debere minuere cibum, & potum, quia multus cibus, aut potus addunt in epidemiam. Quarta eſt Raſ.

10. ad Almanſ. cap. 16. Vbi ait, quod hac febre laborantes aliquid comedere ſunt cogendi, ecce quod dicit aliquid, non multum. Quinta eſt Aet. qui lib. 5. cap. 94. in præſeruatione à peſte, & cap. 129. agens de puſtulis harum febrium peſtilẽtium contractione ciborum præcipit vti; vt vndique tollatur multitudo. Sexta eſt Corn. Celſ. grauiſſimi Medici qui lib. 3. cap. 7. iubet in hac febre, vt alternis diebus nutriamus cibum prima die porrigendo, ſecunda abſtinendo, tertia iterum nutriendo: & cibum monet tenuiſſimum eſſe debere ex alimentis tenuiſſimis, id eſt, quę parum omnino nutriant. Septima eſt Hyppoc. de mob. vulg. ſect. 3. tex. 28. qui in morbis vulgaribus iniungit ciborum parcitatem, vt Raſ. interpretatur 3. contin. tract. 13. cap. 2. Octaua eſt Gal. 6. de morb. vulg. ſect. 6. tex. comment. 15. Vbi ſcribit, quod ſi aliquis morbus viſus ſit declinare, & ob id Medicus credens ſolutum eſſe morbum augeat victum, ſi morbus videatur fieri malignus, quod Medicus in errore non perſiſtat, ſed ad tenuiorem victus rationem ſe conuertat; quod corroboratur alia auctoritate Hyppocr. 4. de rat. vict. in acut. 61. Nona, vltima, & omnium maxima eſt auctoritas Auic. 1. quarti tract. 4. cap. 4. qui ſcribit cibos in febre peſtilenti eſſe debere deſiccatiuos, & acetoſos, addit (& ſint paucę quantitatis) cuius dicti reddit rationem pulcherrimam, quia cibi hi ſunt mali ſucci, & ideò ſi in quantitate effatu digna ſint exhibiti, duplex eſt malum, alterum ratione copię, alterum ratione prauitatis ſuccorum, quæ in ipſis eſt. Poſſent cum ſuperioribus rationibus iſtæ auctoritates omnem remouere lapidem, nec eſſet vlterius quicquam expetendum, ſed ad confirmationem maiorem aliqua adhuc obijciam, vt legentis animus promptius acquieſcat.

Primò ſi virtus ſit debilis, & coniungatur cum morbo ex corruptione humorum, vt ſtatuunt ipſi qui permittat, vel requirat cibi exhibitionem, tunc ſequetur contrarium ei, quod ipſi inferre volunt, quia virtute debi-

debili exiſtente minus alimenti eſt exhibendum, ex Galen. 1. Aph. 17. & rationem reddit, quia virtus debilis minus poteſt conficere ibidem, quod deſumpſit ab Heraclide Tarentino prius Galenus, & cum hi dicant vires eſſe debiles, & morbum ex his, qui reffectionem requirunt, profectò magis conueniet victus tenuis, quam plenus etiam, quod alimenta ſint proba, ex eodem in lib. Hyppoc. de aliment. comment. 3. circa finem. Si verò virtus ſit robuſta, cum poſſit multum conficere indicabitur victus plenus præter illorum opinionem. Secundò ſi in vllo vnquam caſu eſt promptè nutriendum in id ſyncope videtur faciendum cum ſyncope ſit præceps omnium virium lapſus, grauiſſimum ſymptoma, & fere extremum omnium, quod poſſit accidere, & tamen ſi pendeat ex febris malignitate Gal. 1. ad Glauc. 14. omnino imperat cibi, potuſque abſtinentiam, vt etiam ſupra notauimus, quod confirmat Aet. lib. 5. cap. 110. Tertiò, in variolis, quæ ſunt inter morbos peſtilentes repoſitæ in pueris, qui omnium minime tenui victu ſunt regendi ex Hyppocr. 1. Aph. 13. Arabes Medici iubent à carnibus, & ouis abſtinere debere ægros. Quod autem variolæ ſint morbi peſtilentes docet experientia, & inſcriptio libri de variolis Raſ. qui inſcribitur de peſte. Atque hæc ſufficiant pro confirmatione noſtræ ſententiæ; accedo modo ad ſolutionem argumentorum, quæ contra nos in medium fuerunt allata.

Ad primum illa excuſatio prima fronte aliquam præ ſe ferre videtur probabilitatem quamuis Macrob. 3. Saturnal. de luxurioſa Pontificum cœna dicat maiorem fuiſſe priſcis ſeculis deliciarum curam, quam ſuo. Reſpondemus eſſe quidem conſuetudini aliquid condonandum, non tamen tantum, quantum ipſi exiſtimant; & licet fortè tempore Hyppocr. homines eſſent in victu temperatiores, verum ætate Gal. aucta vſque adeo fuiſſe edulia teſtatum habemus, vt nihil ipſis addi poſſe videretur ex 6. Aph 2.8. & tamen ipſe illi conſuetudi-

ni tantum non tribuebat, vt rationem victus ab Hyppoc. traditam in curandis morbis acutis non ſeruaret, vt idem teſtatur 2. de dieb. decret. 11. & 4. de rat. vict. in acut. & 10. cap. de Præcogn ad Poſthumum. Præterea nunc etiam non pauci reperiuntur, qui parciſſime viuunt, potiſſimum in hac Sereniſſimę Reip. Genuenſis ditione. Ad ſecundum non negamus in his febribus, in quibus tempora particularia ſunt diſtincta, & aliquam habent durabilitatem eſſe variãdam ciborum quantitatem, ſed varietatem hanc dicimus commode præſtari poſſe præter quamquod recedamus ab ea victus ſpecie, nam verum eſt harum febrium aliquas eſſe, quę diſtant ab acutiſſimis exquiſite, quæ propterea ſunt illius immutationis victus capaces, neq. ob hoc cogimur à victu tenui recedere cum habeat latitudinem effatu dignam. Ad tertiũ, quod victus tenuis ſit periculoſior paulo pleniori reſpondebimus paulò poſt, prius enim ſunt aliqua declaranda. In victus detractione ſunt tria pericula, primum eſt ſi tenui victu vtamur in morbis, in quibus non conuenit, vt in morbis longis, vel acutis ex decidentia dictis, nam ex ea victus detractione in ſimilibus morbis naturam in perniciem forte trahemus; quod periculum eſt ab Hyppoc. primo Aph. 4. in medium allatum. Sed hoc periculum hic non habet locum, quia febris peſtilens non reponitur in numero morborum cronicorum, nec acutorum ex decidentia, ſed in acutis abſolute, vel exquiſite, Aphoriſmus autem agit de morbis longis, vel acutis ex decidentia, & de victu tenui, & exquiſito. Non ignoro tamen aliquos reperiri, qui contendunt dari febrem peſtilentem cronicam, verum quod rarò fit perinde eſt, ac ſi nunquam fiat. Aliud periculum dependet ex ipſa detractionis vehementia in ſe ipſa conſiderata, cum enim in victu tenuiſſimo fiat detractio inſignis admodum ab ægrorum corporibus, illa detractio non ſolum eſt grauis, ſed & periculoſa, & offendens, quod ex citato Aphoriſmo colligitur. Sed huic etiam reſponde-

mus victum tenuem multam habere latitudinem, & Aphoriſmum loqui de victu tenuiſſimo, qui eſt ſpecies victus tenuis, & non valere argumentum à deſtructione ſpeciei alicuius ad deſtruendum totum genus. Sed aliter, ſi huic reſponſioni non acquieſcunt, dicimus, quod quamuis victus non ſolum tenuiſſimus, ſed & tenuis ſint periculoſi, aliquando tamen neceſſe eſt illo tenui victu vti non obſtantibus illis periculis; tunc enim vtendum eſt illo tenuiſſimo, & tenui victu cum morbi ſunt extremi, vel ſunt in ſtatu, nam tunc debemus magis timere pericula præſentia, vel futura ex morbo, quam pericula ex tenui victu, & propterea tenui victu eſſe vtendum, quod faciendum omninò præcipit Hyppocr. 1. Aphor. 6. & niſi Hyppoc. prætuliſſet damna ex morbo futura periculis ex tenui victu non conſuluiſſet vti victu teuuiſſimo, imò illum ab vſu medicinæ ablegaſſet: Sed illum probauit eodem 1. Aph. 6. 7. & 8. Quod autem febres peſtilentes ſint morbi extremi, & periculoſiſſimi lippis notum, atque tonſoribus, & ab Hyppoc. colligitur lib. de morb. vulg. Tertium periculum in tenui victu eſt, quia errores committuntur in ægris, ſiue ipſi peccent, ſiue Medici illos curantes, ſiue Aſſidentes, ſiue aliter: ob hæc igitur errata victus tenuis eſt periculoſus magis, quam paulò plenior, quia errores facti, dum tenui victu vtuntur ægri ſunt grauiores, & ab illis difficilius feruntur, quam ſi ijdem errores in victu paulò pleniori committantur; quod vltimum periculum ſubiungit Hyppocr. ibidem Aph. 5. ſed & huic argumento multis modis reſpondere poſſumus, vno quidem quod Hyppoc. vtitur tenuiſſimo victu, vt patet 1. Aphor. 6. 7. 8. & 10. quod Galen. vbique confirmat. Secundò reſpondetur, quod Hyppoc. non agit de tenui victu ſimpliciter, ſed de tenui conſtituto, & exquiſito, quod patet ex Aphoriſmi concluſione, quod tamen non propoſuit in principio forte vt ſeruaret Aphoriſticam breuitatem; quam veritatem aſſequi nequeunt, qui Aphoriſmi principium duntaxat

taxat

taxat legunt. dicere inſuper poſſumus Hyppoc. in eo Aphoriſmo comparare duas victus ſpecies ſub eodem genere contentas inter ſe, & non genus generi, nam comparat victum tenuem, conſtitutum, & exquiſitum non pleno victui, imò nec mediocri, ſed tenui, ita vt in comparatione iſta non excedat tenuis victus limites: differe autem victum tenuem abſolute à tenui conſtituto, & exquiſito inferius docebimus. Item reſpondemus non valere hanc conſequentiam ægri poſſunt committere errores, ergo ſunt plene nutriendi, vt illos errores poſſint tollerare; nam nos neſcimus illos commiſſuros eſſe errores, poſſumus ſperare, quod in morbo acuto vix fient errores, & ita victum inſtituemus tenuiorem, & ſi viderimus errores, & ægrum cum illo victu non poſſe perdurare vſque ad ſtatum, facile erit illum errorem corrigere parum cibi addendo; at ſi paulò pleniori cibo vſi fuerimus, opportebit ſæpè euacuare, quod eſt valde moleſtum, & in acutis morbis damnoſum. Sed eſto, quod errores committantur, tunc illos errores, vel cognoſcemus, vel non, ſi nouerimus illos errores ob nocumenta ex erroribus erit in tenui victu paulo plus aliquid adijciendum, ſed non vltra tenuis victus cancellos: ſi non cognoſcemus errores, tunc ex illo tenui victu magis apparebunt, & ita tenuis victus omni ex parte erit tutior, pleno. Vel demum dicamus (vt ſupra) ſi morbi ſint extremi etiam eſſe tenui victu vtendum, nihil, vel parum admodum de erroribus ſolleciti; quia plus vrget periculum ex morbo, quã ex erroribus. Alia etiam ratione confert ægris tenuis victus, quia virtus non multo onerata cibo poteſt vacare morbo, & cauſis morbificis, & ſymptomatis plus conferendo, quam ſit nocumentum, quod ex illo tenuiori victu reſultat.

Ad quartum conſiderabant ſymptomata harum febrium, quæ cum ſint apta proſternere vires victum expoſtulant non tenuem, cur obijcimus primo auctoritatem Galen. 1. art. curat. ad Glauc. cap. 14. & Aet. lib.

5. cap.

5. cap. 110. de ſyncopi iam ſupra allatam; item ad dolorem ventriculi hiſtoriam 2. de morb. vulg. ſect. 2. in principio mulieris cui cor dolebat, & illi contulit ſemel tantum in die cibum aſſumere: ſed vt accumulatius huic rationi ſatisfaciamus hæc de ſymptomatibus diſtinguemus. Symptomata biffariam ſecantur, aut enim ſunt morborum cauſæ, morboſque præcedunt, aut ſunt ſymptomata, quæ morbos cauſaſque ſequuntur, & in ſecundo ſignificatu hoc loco accipiuntur. Aſſerimus autem non in omni ſymptomatum magnitudine, & ratione victus quantitatem eſſe immutandam; nam in eo, quod ait Hyppocrat. primo de rat. vict. in acut. tex. 43. (ſi multa ſitis fuerit mellicrato, aut aqua) non à ſymptomatum quacunque magnitudine, ſed ab ea, quę effatu digna eſt ſcopum curationis immutandum eſſe docemur; ratio eſt, quia ſymptomata, vt effectus ſunt, nullius ſunt indicationis capacia, niſi pro vt effatu dignam accerſunt magnitudinem. Item ſymptoma, aut ad morbum reffertur, aut ad naturam, ſiue vires. Symptoma ſi ſit de eſſentialibus morbi aggrauans, & ſtimulans virtutem, & ad ſe trahens curam, vt dolor, inquietudo, quæ etiam augent morbum, tunc conſentit indicationi deſumptæ à morbo, qui morbus prohibet cibum dari, & in his ſymptomatis nullo pacto cibus eſt dandus iuxta tradita ab Hyppoc. 2. de rat. vict. in acut. tex. 18. etiam quod ex illo dolore ægri vires conuelli videantur, & ratio eſt, quia illa non eſt vera debilitas, & eo magis cibus erit denegandus ſi illud accidens fuerit ex his, quæ corpus euacuandum eſſe inſinuant, vel ſi eo præſente euacuationis neceſſitas quoque incumbat: Itaque ille, cui accidit virium imbecillitas ob dolorem, aut morbi acumen indiget potius euacuatione, quam adiectione in corpore ſuo ex Galen. in comment. loci citati Hyppoc & illi Medici, qui in his ægrotantibus cibum porrigunt, nocent nocumento inſigni. Neque etiam conuenit cibus in ſymptomatis euenientibus in ſtatu morbi, & cauſa eſt

ob

ob pugnam naturæ cum morbo, ne diſtrahatur inquam natura à dicta pugna. At ſi illa ſymptomata ad naturam refferantur, & facta ſint ob inædiam, & ciborum parcitatem, videndum eſt vlterius, nam quamuis reſoluantur vires, ſi tamen vehementer non ſint iam reſolutæ, ſed adhuc reſiſtant, vnus tantum erit ſcopus, nam ad ſymptoma tantum erimus attenti, atque id quamprimum delere maturabimus, ſin iam vires vehementer reſolutæ ſint duplex erit ſcopus, etenim non modo ſymptoma ſedare, ſed illas firmare properamus, quæ eſt doctrina Galen. 13. meth. med. primo. Item ſi illa ſymptomata ſint ex his, quæ vere robur proſternunt, tunc ratione illius ſymptomatis conuenit illi alimentum miniſtrare quocunque morbi tempore eueniant illa ſymptomata etiam in ſtatu, vel in principio particularis acceſſionis, ſiue illa ſymptomata vi morbi, ſiue vi naturæ fiant, ſiue ab errore externo, & potiſſimum ſi ſit euacuatio aliqua inſignis, quæ vires exçdat, quæcunque ſit ſiue per aluum, ſiue per vomitum, ſiue per ſudores, & eo magis ſi fiat aliqua effatu digna euacuatio ſanguinis. Victus tamen tunc non conuenit plenus, & ideò nec carnes, nec oua, ſed parum erit exhibendum: illud enim erit aduertendum, vt quam minimum fieri poteſt à regulari victus ratione recedamus, & ſolum id adijciamus quantitati ciborum, quod neceſſitas adiectionis poſtulat, nihil præterea: Quantum autem ſit adijciendum ratione ſymptomatum plus, aut minus ipſa ſymptomata indicabunt iuxta intenſionem, & remiſſionem, longitudinem, vel breuitatem. Afferunt præterea ratione ſymptomatum victum ſemper conuenire plenum, quaſi quod ſymptomata harum febrium fere omnia ſint ex his, quæ alimenta poſtulant, ſed res longe ſecus ſe habet, imò frequentius ea contingunt, quæ victum prohibent, quę vt facilius diſtinguantur non piget harum febrium ſymptomata enumerare. Symptomata febrium dictarum alia ſpectant ad actiones læſas, alia ad excrementa

mu-

mutata, alia demum ad diſpoſitiones præter naturam. Quæ ad actiones læſas attinent, vel ad animales pertinent, vt ſunt vigiliæ immodicæ, ſomni profundi, mentis alienationes, deliria, conuulſiones, tremores. Vel ad actiones vitales, vt deliquia animi, ſyncopes, anhelitus difficultates. Vel ad actiones naturales, vt appetitus valde proſtratus, ſitis magna, ſingultus. Ad excrementa mutata pertinent ſudores frigidi, fętidi, alui fluxus colliquatiui, fœtidi, ſpumoſi: ſputum ſanguinis, vomitus bilioſi, mali: nauſea vehemens, frequentiſſima; ſtillæ ſanguinis ex naribus; Vrina aliquando multa, aliquando pauca, mala, ſine hypoſtaſi, vel cum hypoſtaſi, ſed mala, vt nigra, ſpumoſa, excrementa demum omnia mala, fętida. Svmptomata demum ad diſpoſitiones attinentia ſunt, vel communia, vel propria: communia ſunt, quæ toti corpori inſunt, vt anxietates, impotentia monendi totum corpus, vel motus vehementes, incompoſiti, hinc inde. Particularia alicui membro, dolores capitis, thoracis, cordis; ſtomachi; linguæ aſperitas, nigredo; oris fœtor; tuſſis ſicca frigiditas extremarum partium; calor ſpiritalium: ſternutatio frequens; difficultas deglutiendi; ſuſpenſio hyppochondriorum. Sunt item tumores præter naturam, apoſtemata, bubones, parotides, antraces, carbonculi, & ſimilia: ſi quis igitur hæc ſymptomata ad calculum redducat, inueniet longe plura eſſe illa, quæ victum prohibent, quam quæ indicent, ſiue permittant. Neq; ab euentu ipſi poſſunt quicquam, quod noſtram oppugnet ſententiam in medium afferre, nam nos quoque ab euentu eandem victus tenuitatem ſæpè, ſæpius experti ſumus, & vſi, & cum fœliciſſimo ſucceſſu, aſſiduæque vtimur, nihilq; eſt, quod de hac re animum, conſcientiamque noſtram exagitet, perturbetvè.

Ex his igitur, quæ hactenus attulimus, ſatis dilucidè conſtare arbitror, quid de tenui victu ſit ſtatuendum, hunc nempè conuenire non minus in dictis fe-

bribus, quam in cęteris acutis omnibus: & eos, qui aliter ſentiunt, quantum à tenui viuendi lege recedunt, tantum à praxi, & rei natura recedere crediderim; & exiſtimo in his febribus cum victu pleno, vel mediocri non paucos ægros interire, qui potius crapula, quam morbi vi iugulantur: nam licet febres peſtilentes ſint inter morbos magnos maximi morbi, non tamen ſunt omnino lethales, ſed quamplurimi ſolent euadere ex Gal. 3. de præſag. ex pulſ. 3. & Hyppoc. in libris morborum vulgarium.

Poſtquam conſtitutum fuerit eſſe vtendum tenui victu, ſuccedit conſideratio, quomodo illum conſtituere debeamus, & per quæ alimenta fieri debeat, & an aliqua ſint, quæ tenuem illum victum prohibeant, quibus diſcuſſis finem huic ſermoni imponemus. Victum tenuem duobus modis fieri poſſe dicebat Galen. primo Aph. 4. nempè, vel per pauca, vel per parum nutrientia edulia: pauca edulia intelligimus, ſi exhibeantur edulia in tam pauca quantitate, & mole, vt exiguum præſtent corpori alimentum, licet illa edulia per ſe ſint apta plurimum nutrire, quemadmodum ex. gr. ſi exhiberemus vitellum oui tantum, aut teſticulum galli gallinacei: Parum nutrientia edulia dicuntur illa, quæ licet exhibeantur in mediocri quantitate parum tamen nutriunt, vt ſunt fructus, & olera, & vterque modus tenuis victus eſt conueniens in his febribus, & alijs morbis acutis. Si quis tamen quærat quænam ex duabus propoſitis victus tenuis ſpeciebus magis congruat dicimus melius eſſe imminuere quantitatem virtutis, quam molis, ita vt inſtituatur victus, qui tenuis ſit factus per parum nutrientia edulia potius quam per pauca, ſed multum nutrientia, quod & ratione, & auctoritate licet confirmare: ratio eſt, quia in quantitate molis poteſt reperiri, vel adiungi aliqua qualitas morbo contraria magis intenſa, & copioſa, quam in illa parua quantitate virtutis, auctoritas eſt Auicen. prima 4. tract. cap. 4. qui ſcribit cibos eſſe debere exiccatiuos,

& ace-

& acetoſos, hinc enim patet Auicen. vti cibis, qui parum nutriunt, ſed habent qualitatem morbo contrariam. Debet autem illa qualitas morbo contraria ſemper reperiri in alimentis pro curatione morborum quemadmodum admonuit Hyppocr. loc.cit. nempè 6. de morb. vulg. ſect. 8. tex. 3. & Galen. primo Aph.16. niſi ſit virtus valde proſtrata, aut æger nolit, aut non poſſit aſſumere cibum medicamētoſum. Victus tenuis, ſiue fiat per pauca, ſiue per parum nutrientia alimenta diuiditur in tenuem, & tenuiſſimum, & vterque in exquiſite, & abſolute talem, vt videre eſt apud Hyppoc. & Galen. primo Aph. multis in locis; & ſingulis febribus ex his ſingulæ horum victuum ſpecies debent accommodari, quod, quomodo fieri debeat, nunc explicandum eſt. Gal. 2. comment. lib. prorrhect. 21. diſtinguit febres malignas ab acutis, non quidem, quod neget, quin poſſit ſimul ſtare acuties cum malignitate, ſed quia non neceſſario hæc ambo coniungantur: quod licet ita ſe habeat receptum tamen eſt apud omnes febres malignas poſſe etiam dici acutas, quod ſi acutum velimus nunc accipere pro duratione, ita vt dicantur acutæ, quia non tranſcendant diem vigeſimum, tunc licebit ita rem conſtituere. Morborum acutorum alij ſunt acuti ſimpliciter, alij ſecundum quid apud Gal. 1. prognoſt. tex. comment. 28. quo acuti ex decidentia dicuntur, de quibus non eſt ſermo, & quemadmodum acutorum alij ſunt tales ſimpliciter, alij acutiſſimi: & acutorum ſimpliciter alij ſunt acuti abſolute, alij acuti exquiſite: & acutiſſimorum alij ſunt tales abſolute, alij exquiſite: Non ſecus harum febrium aliæ ſunt acutæ, aliæ acutiſſimæ, & acutarum aliæ ſunt tales ſimpliciter, aliæ exquiſitæ: & acutiſſimarum aliæ ſunt tales abſolutè, aliæ exquiſite tales. Et quemadmodum morbi acuti ſimpliciter dicti ſolent terminare die vigeſimo, & acuti exquiſite die decimoquarto; & acutiſſimi abſolute die ſeptimo, & acutiſſimi exquiſite die quarto, ſic etiam iſtarum febrium, quę ſunt acu-

 tę ab-

tę abſolute die vigeſimo terminantur, & aliæ die decimoquarto; quæ ſunt acutæ exquiſitæ; & aliæ die ſeptimo, quæ ſunt acutiſſimę ſimpliciter, & aliæ die quarto, quæ ſunt exquiſite acutiſſimæ. Quinimò ex acutiſſimis quędam aliquando non excedunt diem tertium, & ex acutiſſimis ſimpliciter aliquę nonnumquam diem quintum non tranſgrediuntur: Sicut ex acutis exquiſite quædam terminantur die vndecimo, & ex acutis ſimpliciter quædam die decimo ſeptimo. dari autem febres peſtilentes, quæ his periodis claudantur quotidiana experientia, & aſſiduo vſu comprobatum eſt. Victus itaque tenuis non conuenit in morbis diuturnis, qui ſint ſua natura longi, neque in acutis ex decidentia ex Hyppocr. primo Aph. 4. ſed conuenit morbis acutis ex eodem 1. Aph. 6. & 7. & febribus peſtiferis, tenuis ſimpliciter conuenit morbis acutis ſimpliciter, & ita febribus peſtiferis acutis ſimpliciter, tenuis exquiſite, morbis, & febribus acutis exquiſite: Tenuiſſimus ſimpliciter morbis, & febribus acutiſſimis ſimpliciter, tenuiſſimus exquiſite morbis, & febribus acutiſſimis peſtiferis exquiſite. Hoc pacto procedenti planum fiet omnibus febrium peſtiferarum ſpeciebus proprias victus tenuis ſpecies accommodari poſſe: nunc nominabimus alimenta ſingula, quibus limitabant veteres quamplures victus ſpecies.

Victum diuidebamus cum Galen. primo Aph. 4. in plenum, conſeruantem, & tenuem: & hunc in tenuem, & tenuiſſimum ex Hyppoc. & Galen. in quibus victus ſpeciebus vtebantur Antiqui diuerſis cibarijs, nam in pleno, & mediocri vtebantur his, quæ comeduntur, in tenui his, quæ ſorbentur, in tenuiſſimo his, quæ bibuntur ex traditis ab Hyppoc. lib. de veteri med. & lib. de rat. vict. in morb. acut. Plenus victus inchoando à primo gradu pleni, qui inciepiebat eſſe tenuis in ſanis deſcendendo ad victum mediocrem, apud Antiquos fiebat, qui etiam nobis fieri poteſt, ex carnibus caponum, attagenum, gallinarum, vitulli, hædi, caſtrati

ſtrati

ſtrati ſumptis in mediocri quantitate, minus tamen, quam conſueuiſſent, dum ſani eſſent. Victus mediocris fiebat ab illis, quo nos etiam vtimur, ex carnibus pullorum gallinaceorum, paruę pullę, perdicum, ſtarnarum, coturnicum, columborum tenellorum, deinde pullis prædictorum, deinde ouis, & carnibus paruarum auium, vt quæ in dumetis degunt, quales ſunt paſſeres, allandulæ, & ſimiles; & piſcibus ſaxatilibus, quę etiam cibaria plus, vel minus nutriunt pro ratione tum quantitatis, in qua exhibentur, ita vt poſſint etiam facere ad victum ſanorum: tum pro differentia partium, quæ tribuuntur, vt pulpæ, alæ, colla, mammilla, teſtes, iecuſcula hæc enim aliquantulum recedunt ad inuicem ſecundum magis, & minus alimenti, quod corporibus præſtant. Hæc tamen abſolutæ loquendo potius ad victum plenum pertinere videntur, & non mediocrem, niſi valdę moderate ſumantur. Et hæc etiam pro maiori, vel minori copia pertinebunt ad victum mediocrem, vel abſolute, vel exquiſite talem. Tenuis deinde victus fiebat ex ſorbitionibus, ſed tenuis abſolute ex ſorbitionibus craſſioribus, qualis eſt Ptiſſana non collata, ſed cum tota ſua ſubſtantia, quod etiam nunc fieri poteſt ex ferculis ex oleribus, endiuia, boragine, bugloſſa, lactuca, cicerbita, beta, & ſimilibus, ex pane trito parato in leui iure, ex panatella in eodem iure, ſed in pauca quantitate. Tenuis verò exquiſite ex ſorbitionibus tenuioribus ex Ptiſſana collata, nunc ex iure debili paruæ pullæ. Victus deinde tenuiſſimus fiebat ex his, quæ bibuntur, inter quę craſſiora ſunt, & quæ ad victum tenuiſſimum abſolute pertinent, mellicratum, iulep ſi ſint parata cum multo melle, vel multo ſuccaro, & bene decocta; item ſucco granatorum dulcium: minus craſſa ſunt mellicratum, iulep parata cum mediocri quantitate mellis, vel ſuccari, & mediocriter decocta, item ex ſucco granatorum eorum, quæ ſunt media inter dulcia, & auſtera, ex aqua hordei parata ex hordeo mundo à cortice

omnium tenuia erant mellicratum, iulep ex pauco melle, vel ſuccaro, & parum decocta, ſucco granatorum acidorum, aqua hordei parata ex hordeo cum cortice, & non mundo. Tenuiſſimus verò victus exquiſite conſtabat ex ſolius aquę ſimplicis potu, qui potus nihil nutrit, vel ex omnimoda abſtinentia, nec aliud dabant, quod nutrire poſſet; quamuis potus aliquis medicinalis poſſit exhiberi, qui non nutriat niſi per accidens prohibendo ſcilicet diſſolutionem: exempla iſtius victus ſi quis cupiat videre adeat Hyppocr. lib. de fract. de rat. vict. in morb. acut. de morb. vulg. & Gal. tum iiſdem locis, & in Aphoriſmis, & alibi. Verum ſi cui adhuc ſit hæc victus ratio ſuſpecta, velitque aliquid condonare magis conſuetudini, poterit illam caſtigare, & ad normam noſtrorum temporum reddigere hoc pacto procedendo, vt ſi exhibeamus in morbo acutiſſimo exquiſite, in quo veteres nihil dare, quod poſſet nutrire conſueuerant, victum tenuiſſimum abſolute, qui conſtabat tenuioribus ſorbitionibus; in acutiſſimo abſolute victum tenuem exquiſite: in acuto exquiſite tenuem abſolute; in acuto abſolute victum mediocrem exquiſite, quem exhibebant in morbis acutis ex decidentia, ſed vergentem ad tenuem.

Sed non ſufficit ſemel conſtituiſſe quantitatem victus in toto morbi decurſu, ſed erit vlterius conſiderandum, an in illa conſtituta victus quantitate ſit permanendum ſemper, an facienda ſit aliqua mutatio aliquid addendo, vel detrahendo. Et aſſerimus in eadem quantitate ſemel conſtituta eſſe permanendum ſolum in morbis, & febribus, quæ ſtatim ſunt in vigore, & quę ſtatim extremos habent labores, quarum tempora vſque adeo ſunt breuia, vt ſimul, & ſemel incipere, augeri, ac vigere exiſtimentur, qui morbi in primo quaternione abſoluuntur, nam in his ob temporis anguſtiam victus quantitas nullius eſt immutationis capax, qui victus dicetur tenuis conſtitutus, & exquiſitus. In illis verò febribus, quæ non ſtatim ſunt in ſummo

mo

mo vigore, ſed debent poſterius conſiſtere, in his inquam non ſemper in eadem victus quantitate eſt permanendum, quod nobis aperte indicauit Hyppoc. primo Aph. 10. & 1. de rat. vict. in acut. & Gal. multis in locis, ſed potiſſimum 1. art. curat. ad Glauc. Ex his apparet perperam illos facere, qui ab vna ſemel victus quantitate conſtituta numquam recedendum putant. Cum verò fuerit determinatum eſſe in victus quantitate immutationem faciendam, erit præterea quærendum an ſit adiectioni, an ſubtractioni ſtudendum potius: & licet ſit hoc controuerſum, quia tamen hic non eſt huius quæſtionis dirimendæ locus cum Hypp. 2 de rat. vict. in acut. 15. 18. & 37. dicimus tutius eſſe ſubtractioni ſtudere, quam adiectioni.

Si quis optaret habere exempla victus in his febribus, & velit in omnibus ſubtractioni ſtudere poterit rem totam hoc pacto ordinare.

IN febribus peſtiferis acutiſſimis exquiſite, cum ad diem quartum ſoleant extendi prima die mane, & veſperi poterit exhibere mellicratum, aut ſi timet vſum mellis leue, & paucum parui pulli iuſculum, ſecundo die aquam ſuccari, vel hordei, tertio eandem aquam, ſed in minori quantitate, quarto vel ſolius ſimplicis aquę potum, vel nihil.

IN acutiſſimis abſolute, quę ſeptimum diem ſolent attingere victus accommodatus erit, ſi duobus primis diebus exhibuerimus panem tritum in aqua paratum, in moderata quantitate, alijs duobus diebus idem ferculum, ſed in minori quantitate, reliquis duobus diebus ſuccum Ptiſſanę, ſed in exigua quantitate, ſeptimo die leue iuſculum.

IN acuta exquiſite, qui ad diem decimum quartum protendi poteſt, ita poterimus victum præſcribere, ſi primis quatuor diebus præbeamus panem tritum, vel panatellam, quę ſit parata in iure, ſed in quantitate mediocri; deinde tribus alijs diebus eadem fercula, vel ſimilia, ſed in minori quantitate: deinde ſi per alios

qua-

quatuor dies demus hordeum integrum ſine Ptiſſanam non collatam (vt dici ſolet) quę ſit parata, & decocta in iure in mediocri quantitate, vel fercula ex oleribus, deinde tribus vltimis diebus dentur eadem fercula, ſed in minori quantitate ſi parentur in iure, vel vberiori ſi parentur in aqua, & non in iure.

IN acuta febre abſolute, quę (vt plurimum) clauditur die vigeſimo victus conueniens erit ſi prima hebdomada dentur fercula ex pane trito, vel panatella in multa quantitate parata in optimo iure, vel dentur carnes nominatæ in victu mediocri, in mediocri quantitate ſine ferculis, vel pauca fercula, cum modico carnium, prædictarum, vel vitello oui. In ſecunda hebdomada eadem fercula eodem modo parata, ſed in minori quantitate, vel in eadem quantitate, ſed in iure magis leui, & demacrato, nihilque conſumpto, vel fercula ex oleribus eodem modo parata, & in mediocri quantitate. In tertia hebdomada primis quatuor diebus fercula hordeacea, vel ex oleribus in iure mediocri parata, & in mediocri quantitate: in reliquis tribus vltimis diebus eadem, vel ſimilia fercula, ſed in minori quantitate, & in iure magis leui. Quod ſi his periodis non ita exquiſite videantur terminaturæ, ſed quę debet deleri die ſeptimio finiat die quinto, & quæ decimoquarto vndecimo, tunc poterit pro ratione temporis illius modus victus quoque immutari plus, vel minus porrigendo pro duratione febris. Hæc poteſt eſſe veluti imago quædam rationis victus in his febribus, à quo victu parum recedere augendo, vel imminuendo licebit, multum nequaquam: non detrahendo ab hoc victu ea, quæ hic Genuæ ſolent febricitantibus concedi, qualia ſunt fruſtula mali naranzij dicti, acetaria, poma cocta, & ſimilia acetoſa, quæ ſunt valde accommodata. Sed quæ eſt cauſa, quod nullus Medicorum noſtri temporis audeat etiam in morbis acutis, licet non ſint febres malignæ vti illo victu tenuiori veterum? An quia arduum eſt, & perdifficile omnino nobis

bis cognoſcere quantitatem roboris virtutis, & quando ſit futurus morbi ſtatus in illis morbis, à quibus deſumitur quantitatis alimentorum conuenientis indicatio ex Galen. 1. Aphor. 8. Cum tamen hoc non ſit non poſſibile ſatagendum eſt bonis coniecturis illa duo cognoſcere, ne vtamur victu pleno in morbis acutiſſimis magno cum ægrotantium diſcrimine; quæ tamen duo quomodo cognoſcantur docere noſtri inſtituti fines tranſcendit.

Conſtituto victu tenui in febribus malignis, & peſtiferis magis tamen, vel minus tenui pro ratione breuitatis, vel longitudinis illarum febrium, ſolum reſtat, vt videamus an aliqua reperiantur in illis ægrotantibus, quæ nos ab eo victu recedere, & illi aliquid adiungere cogant. Vnum eſt, quod tamen ad artem prima fronte pertinere non videtur, quod ſi firmis, & maximis ſignis ducti credamus febricitantem interiturum, non vtamur victu admodum tenui pro ratione morbi, ſed paulò pleniori, quam in euaſuris conueniret, ne malus tandem ægri euentus noſtro tenui victui adſcribatur. Prohibentia verò illum tenuem victum ex arte multa ſunt relata à Gal. diuerſis in locis, nam primo de rat. vict. in morb. acut. tex. comment. 44. retulit ſtatum aeris calidum, & ſiccum, à quo tanta poteſt contingere virium proſtratio, vt vſque ad ſtatum morbi perdurare non poſſint. Accedit ætas puerilis, in qua ex Galen. 9. meth. med. 5. plurimæ contingunt euaporationes ſubſtantiæ, & ideò non poterunt permanere in illo victu cum ieiunium difficillime ferant ex Hyppoc. primo Aph. 17. Temperamentum calidum, & ſiccum etiam repugnat. Habitus rarus, mollis, pauci ſanguinis, anguſtarum venarum. Conſuetudo prætereà capiendi multos cibos. Morſus, & imbecillitas oris ventriculi, vt in picocrolis. Sunt & alia relata ab eodem 2. de rat. vict. in morb. acut. tex. comment. 54. Euacuatio exuperans, & potiſſimum per ventrem. Vigilię immoderatæ, iræ, furores. Lumbrici ſi ventriculum aſcenderint

derint

derint potiſſimum lati, quos ait Gal. lib. de Theriac. ad Piſon. 15. aliquando totum cibum deuorare. His enim præſentibus, vel pluribus, vel dignioribus, vel aliquo natura ægri non poterit ſeruari, nec ferre illum victum tenuem, ſed oportebit cibum augere. At ſi nullum horum adſit, vel ſint pauci momenti, tunc ipſum ægrum cum propoſito victu ad morbi vſque ſtatum ſuſtinere non dubitabimus.

FINIS.